

*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in two columns across the page. Several lines are underlined in red ink. Large red initials are visible at the beginning of certain sections. The parchment shows signs of age, including staining and wear at the edges.]*

Communicata  
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. H. Maxß  
1831 oho

CARMEN DE  
CONTENTIONE VIRTUTIS  
ET IGNAVIAE EX SECUNDO LIBRO  
XENOPHONTIS DE MEMORABILIBUS  
LIBVS SOCRATIS.

AUCTORE  
IOHANNE SCHELHAMERO.



VVITTEBERGAE  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO.  
ANNO M. D. LVI.



Clarissimo viro eruditione et sapientia praestanti D.  
Sebastiano suo Praepiori carissimo dicit Johan. S.

CLARISSIMO VIRO PRVDENTIA  
ET VIRTUTE PRÆSTANTI DOMINO IACO-  
bo Huls suo cognato plurimum  
salutis dicit.

VERISSIMUM est dictum Pindari: *πάλατα χάρις ἔνδρα,  
ἀμνίμονες δὲ βροτοί.* Nā nihil citius senescit cū benefi-  
ciorū memoria. In primis autē Deo omnes multiplici-  
ter ingrati sumus pro immensis beneficijs quę in nos  
quotidie effundit. Patefecit se nobis clara uoce, & cer-  
tis testimonijs miraculorum, inde usq; ab initio post  
conditum genus humanum, misit filiū suū unigenitū  
ex immensa bonitate & misericordia, ut assumpta hu-  
mana natura fieret uictima et λύτρον pro peccatis, plas-  
caret iram æterni patris, colligeret Ecclesiam, cui tan-  
dem abolita morte & peccato restitueret uitam ac ius-  
titiam æternam. Hęc tanta beneficia, prohi dolor,  
pauci homines cogitant. Sed nos qui membra ueræ  
Ecclesię esse uolumus, cum ea agnoscere et celebrare  
decet, tū etiā erga homines benemeritos gratitudinē  
nostrā declarare, ne grauem pœnam, quam Salomon  
ingratis minatur, cum inquit, Non recedet malum de  
domo ingrati, nobis accersamus.

Cum igitur cariss: cognate plurima & maxima  
tua in me beneficia extent, decet me, cū nullis officijs  
respondere possim, saltē memoriā eorū cōstanter tueri.  
Quod ut me facere intelligas, et gratitudinē uel in hac  
parte perspicias, scripsi carmen non magni momenti,  
q̄ duxi inscriptione nominis tui publicandū esse, reue-  
renter orans, ut hoc meum studium approbes, et hanc  
meam quantūuis exiguā operā boni consulas, B. V.

Iohannes Schelhamer.

CARMEN DE CONTENTIONE

VIRTUTIS ET IGNAVIAE EX SECVNDO LI-  
bro Xenophontis de memorabilibus

Socratis.

VT nunc sunt hominum mores ita tempora, crescit  
Impietas, recti non mouet ipse decor.  
Nil nisi turpe iuuat, contemnitur inclyta uirtus,  
Et regnant fraudes, nomen inane fides.  
Disciplina ruit morum, spernuntur & artes,  
Nemo fouet castas ex Helicone Deas.  
Maxima pars ridet numen cœleste Tonantis,  
Bellæq; sincera cum pietate gerit.  
- Quid curo superos, dicunt, faciamus iniqua,  
Ut bona proueniant, non uidet ista Deus.  
Nec discrimen habet, pœnas æqualiter omni  
Ordinat, humanis si modo rebus adest.  
Scimus, & est notum, quæ sit fortuna malorum,  
Hos sequitur semper copia diues opum.  
Sunt in honore, regunt urbes populosq; potentes,  
Digna p̄is tribui præmia rarò uides.  
- Ergo hilarem uitam degamus, blanda uoluptas  
Post obitum cessat, puluis & umbra sumus.  
Vsq; adeò mentes humanas fascinat error,  
Esse putant summum, uiuere dulce, bonum.  
Quanta, latet miseros, secum contagia morbi  
Omnibus ebrietas perniciosa ferat.  
- Corporis exhaurit uires, animiq; uigorem,  
Si quid & ingenij est roboris, omne rapit.  
Aetatis minuit flores affertq; senectam,  
Nec patitur nitidum uultibus esse decus,  
Inde manus tremulæ, pallor capitiscq; dolores,  
Et turpi scabie semper arata cutis.

A ij

Hinc

Hinc etiam madidis stillantia lumina guttis,  
 Defectus cerebri, pestis & atra lues.  
 Hinc cedes, rixæ, discordia, bella, rapinæ,  
 Incastus, rabies, supra nefanda, neces.  
 — Proximus huic uitio comes est ignauia torpens,  
 Qua nihil in uita plus nocuisse potest.  
 Mergit in exitium, nihil & moderabile suadet,  
 Ad crimen faciles præparat omne uias,  
 Hac duce nobilitas perit & generosa iuuentus,  
 Hac duce languescunt fortia corda ducum.  
 — Hanc tetram pestem Stygij Plutonis in atris  
 Sedibus Eumenides progenuere Deæ.  
 Immitis toto dispersit in orbe Megæra,  
 Cunctis terrigenis exitiale malum.  
 In pecudes multos se transformare uidemus,  
 Amplius humani nil nisi uultus inest.  
 — Si Deus hic astans te cerneret ebrie præsens,  
 Non ne hunc dicturum talia uerba putas?  
 Qualem nunc formam, noua quæ spectacula cerno?  
 Quis Genius nostrum sic uiciauit opus?  
 Nunc ubi sunt impressa tuæ uestigia menti?  
 Semina figmenti nulla prioris habes?  
 — Non animal natura parens te tale creauit,  
 Principio es iusti factus imago Dei.  
 Cur non uiuendi mores assumis honestos,  
 Cur ita degeneras conditione tua?  
 Vnde tibi est luxus, cur uitam ducis inertem?  
 Nil magis offendit quæ gula dira Deum.  
 — Ergo desidiam fugiens assuesce labori,  
 Ne premat offensi te grauis ira Dei.  
 Ille cibos iussit magno sudore parare,  
 Mollibus illecebris abstinuisse uetat.

Non

Non tantum diuina homini monumenta labores  
Præcipiunt acri sedulitate coli,  
Scilicet hoc etiam libros monuisse Sophorum  
Cernimus, ut clarè fabula prisca docet.  
- Fortis ubi Alcides teneris excessit ephebis,  
Secretum Solus cœpit adire locum,  
Multa mouens animo Syluis errauit opacis,  
Cura fuit uitæ de ratione suæ.  
Constitit incertus, quod iter, dubitauit, iniret,  
Propositas geminas cogitat esse uias.  
Ecce duas uidit præstanti corpore Nymphas,  
Cingebant flauas aurea ferta comas.  
- Sed tamen ex illis multò magis una placebat,  
Brachia splendebant candidiora niue.  
Forma decens, nitidusq; color flexiq; capilli,  
Et roseis inerat gratia multa genis.  
Ornabat placidum ueneranda modestia gressum,  
Lucebat niueo castus in ore pudor.  
Circa humeros uestis pendens & honesta, nitebat  
Ex oculis nulla factus ab arte decor.  
- Altera dissimilis forma, frons oblita fuco,  
Ora gerens fastu turgida, blanda sono.  
Errantes oculos in humum defixa tenebat,  
Non erat in facie, nullus in ore pudor.  
Protinus accedens nullo suffusa rubore  
Amphitryonidæ talia uerba dedit.  
- An tibi sit luxus uia, uel uirtutis eunda,  
Sollicitum uideo te generose puer.  
Cur adeo dubitas, quid curis conficis ægris  
Pectora? nil prodest anxietate premi.  
Tu melius, q̄ si fueris mea castra sequutus,  
Non poteris rebus consuluisse tuis.

A iij

Nil

— Nil tibi deficiet, tibi pleno copia cornu  
Omnia diffundet, semper habebis opes.  
Hortus odoratis uernat mihi consitus herbis,  
Quem flatus Zephyri rore madente rigat.  
Crescit ibi Nardus, uiolæ, & dulcissima mella  
Arboribus stillant, nectare riuus abit.  
— Exercent Panes per prata uirentia lusus,  
Silenus, Liber, Naiadumq; chorus.  
Cum Satyris nudi saliant per gramina risus,  
Et Venus obscœnis concomitata iocis.  
Da mihi te princeps, animo quid ad ardua spiras?  
Accersit damnum qui nimis alta petit.  
— Est onus omnis honos, summos quid pœscis honores?  
Affectas uacua laudis inane decus.  
Felix qui blandis traducit amoribus æuum,  
Et positis curis ocia grata colit.  
Me duce iucundam capies per membra quietem,  
Corpora cum dulci uicta sopore iacent.  
Risus, amor, cantus, positis conuiuia mensis  
Semper erunt cordi, non ego ficta loquor.  
— Huc ades, amplexus, lusus & gaudia cernes,  
Donaq; promissis uberiora feres.  
Percipies fructus ex omnibus absq; labore,  
Nullaq; res, qua tu non potiaris, erit.  
Indulgens Veneri nihil experieris amari,  
Sæpe mihi amplexu basia blanda dabis.  
Non grauibus Martis caput obiectare periclis  
Cogeris, uitam desidiosus ages  
— Tranquillæ dabitur tempus sperare senectæ,  
Nec te dura sitis, nec premet atra fames.  
Quod lubet, hoc facies, certa sine lege potestas  
— Viuendi socijs libera facta meis.

O foelix



O foelix regnum, iuuenes pariterq; puellæ  
Conueniunt, hilares sunt, pudor omnis abest,  
Mille iocis certant, & ducunt ordine saltus,  
Virginibus cupidas inijciuntq; manus.  
Dixerat: Herois subit admiratio mentem  
Alcidæ, mulier dic mihi nomen, ait.  
Non mora respondet paucis, sum dicta Voluptas,  
Filia desidiæ luxuriæq; soror.  
- Interea mulier propius tulit altera gressum,  
Alcmenæ sobolis constitit ante pedes.  
Huc, ait, accessi rerum studiosa tuarum,  
Tu mea, quæ dico, percipe uerba puer.  
Pauca docendus eris, præcepta salubria uitæ  
Proponam, iuuenem qualia scire decet.  
- Ingenium noui, de te bene sentio, signa  
Indolis eximie plurima uultus habet.  
Te quoq; nobilitat genus & stirps alta parentum,  
Rex superum genitor dicitur esse tuus.  
Hæc mihi spem faciunt, fore, si mea castra sequaris,  
Ut foris armatus fortia bella geras.  
- Si fueris deses, si ne fama & laude latebis,  
Difficili uirtus ducit ad astra uia.  
Est factis addenda manus, mortalibus agris  
Absq; labore dedit munera nulla Deus.  
Si placata tibi uis reddere numina Diuum,  
Cura sit ut uera relligione colas.  
- Ne præbe rigidum, sed sis affabilis omni,  
Si uis acceptus ciuibus esse tuis.  
Conciliant hominum nobis benefacta fauorem,  
Idcirco patriæ fac bene, gratus eris.  
Vis tibi tellurem plenam producere messem,  
Hanc colito, magnas suppeditabit opes.

Si

- Si quoque uis rebus gestis euadere clarus,  
 Ut redigas hospes sub iuga dura tuos;  
 Tunc adiunge uiris te bellatoribus, isti  
 Erudient, bellum, qua ratione geras.  
 Ferre gelu, frigus, duroscque assuesce labores,  
 Si confirmari robore membra cupis,  
 - Finierat: tumido rupit sermone Voluptas,  
 Cur princeps nugis te retinere finis?  
 Tanta cupido tibi est uanis attendere dictis?  
 Non audis durum quod tibi monstret iter?  
 Crede mihi, paucos euexit ad æthera uirtus,  
 Ad Stygias plures præcipitauit aquas,  
 Effugiunt raro mortem Virtutis amantes,  
 Illis exitium sæua pericla ferunt.  
 Nos fruimur latis, nostro de pectore risus  
 Verbaque iucundo tincta lepore fluunt.  
 Virtutem uero luctus comitantur acerbi,  
 Nulla capit uitæ gaudia, risus abest.  
 Nos magni faciunt reges Satrapæque potentes,  
 Virtutem princeps unus & alter amat.  
 - Nos etiam nimio facimus conuiuia luxu,  
 Illa est semper egens, nemo ministrat opes.  
 - Plura locuturam repressit candida Virtus,  
 Huic tales ridens edidit ore sonos.  
 Egregiam uero laudem, dona ampla refertis  
 O regina potens tuque tuusque chorus.  
 Ornamenta tui miror clarissima regni,  
 Sunt tibi delitiæ luxuriesque soror,  
 - Prima Chorum ducit, lasciuiæ, furta, rapinæ,  
 Ebrietas, luxus, pestis & atra lues.  
 Non locus esse potest, ubi tu dominaris, honesto,  
 Non etiam ueræ religionis amor,

Omnibus

Omnibus es superis inuisa, nec ullus honestus  
Te colit, es cunctis exitiosa uiris,  
Noxia mille modis, artes scis mille nocendi,  
Te propter reges bella cruenta mouent,  
-Affligis grauius mortales, inter amicos  
Sæpe simulates, iurgia sæpe seris.  
Cum te delectant dulcissima pocula uini,  
Non confecta siti labra rigare soles.  
Corporis immundis tua uiscera carnibus imples,  
Quamuis irritet nulla cupido famem.  
Vi noctu placido declines lumina somno,  
Aulæis lecti mollia strata facis.  
-Nemo tibi dicit ueræ præconia laudis,  
Nec tua carminibus facta poeta canit.  
Vidisti rerum spectacula nulla tuarum,  
Laude cares, uellet quis comes esse tibi?  
Dans operam Veneri noctem consumis amore,  
Et luxu totum perdis inerte diem.  
Læta tui comites primis uenantur ab annis  
Ocia, sed senium plurima damna parit.  
Tum demum reputant transactæ tempora uitæ,  
Et male deplorant præterisse dies.  
Cum natis errant miseris & coniuge mæsta,  
Coguntur timida uoce rogare dapes,  
Quos, quicumq; uidet, ceu pondus inutile terræ  
Despicit, incessens talia probra iacit.  
-Nil dabitur, procul hinc tectis discedite, posset  
Quis uos mendicos exaturare cibus?  
Cur non ignaui uobis alimenta paratis,  
Nam uesci parto pane labore decet.  
-Sed mihi nemo bonus uerbis conuitia dicit,  
Ingenuo mores pectore quisq; probat,  
B Quocunq;

Quocunq; incedo, populus concurrat, & omnes  
Ceu quoddam numen me reuerenter habent.  
Consilijs ualeo, magnos quibus instruo reges,  
His quaecunq; loquor, sunt rata, dicta placent.  
- Me laus iustitiae decorat, florere uidemus  
Legibus imperij me dominante statum.  
Sum fauatrix Musis, crebro sacer ordo Sororum  
Castalidum celebrat nomen ubiq; meum.  
Nemo meas nescit laudes, mihi fama perennis  
Quæritur, ex nobis gloria uera uenit.  
Quicquid præclari geritur, Virtutis id omne  
Est opus, ignaui præmia nulla ferunt,  
Est mihi fas oculis magni Iouis ora tueri,  
Inter olympiacos primus habetur honos.  
Sum conseruatrix legum, compesco rebelles,  
Vt possit castis moribus esse locus.  
- Pacis alumna, comes non iniucunda laborum,  
Adiutrix belli, si bona causa subest.  
Et pietatis amans, fidei sanctissima custos,  
Hostis acerba gulæ, fida ministra domus.  
Gutturis immodico potu non obruo fauces,  
Seruo modum, sitiens haurio fontis aquas.  
- Execror illicitas flammæ & pectoris æstus,  
Et mens illecebras dira uenena fugit.  
Si nostri comites limen tetigere senectæ,  
Ducitur in multis uita quieta bonis.  
Tempora colloquijs fallunt, iuuat acta referre  
Vicinis, narrant Martia facta Senes.  
Mirantur iuuenes Heroica facta parentum,  
Vt faciles motus mens generosa capit.  
Inuitant animos ueteris præconia laudis  
Ad Virtutis opus, dulcia quæq; iuuant.

Hoc

Hoc decus imperij est, post ultima fata superstes  
Sola manet Virtus, cætera mortis erunt.  
Sic ait Alcides: Virtutis eburnea collo  
Brachia subiiciens oscula læta dedit.  
Quem non, inquit, amata soror tua uerba mouerent?  
Quis te non sacram dixerit esse deam?  
Te ueneranda sequar, ualeas damnosa Voluptas,  
Non me decipies, ad meliora uocor.  
Tu mihi sola places, uultu promittis amico  
Nescio quid magni, dulcis amica ueni.  
Forma placet mihi, Lucifero formosior ipso es,  
Quo uix stella polo clarior ulla micat.  
Quis te non coleret? tecum diuina potestas,  
Maiestas & honos, mens pia, recta fides.  
O mea uita ueni, rursus uocat, illa uocanti  
Adfuit, & iunctæ dantur utrinque manus.  
Omnibus his uisis Ignauia tristis abiuit,  
Humentes lachrimis immaduere genæ.  
Alma triumphabat Virtus, uictoria laurum  
Signa ferens celeri scandit ad astra uia.  
Iam sedet ante Iouem uotis ardentibus orans,  
Ne uelit à pœnis abstinuisse manus.  
Sed tandem iusta sceleratos obruat ira,  
Signaque uindictæ det manifesta suæ.  
Non queritur frustra, tristes ne sperne querelas,  
Illius placida suscipit aure preces.  
Punit, & est scelerum uindex, atrocita facta,  
Sed tamen ad ueniam pronior esse solet.  
Nostra licet superent cocci peccata ruborem,  
Purpura quem Tyrio murice tincta refert.  
Ipsa tamen Christi roseo conspersa cruore  
Sithonia fient condidiora niue.

B ij

Ignoscens

Ignoscens culpa placida bonitate tuetur,  
Qui faciunt uera uota precesq; fide.  
Non est ulla salus, nisi quam clementia præstat  
Larga Dei, Christo turba redempta sumus.  
Prostratus iacet ante patrem, qua mole premamur.  
Scit bene, pro nobis supplice uoce rogat:  
Ah pater humani generis succurre ruinæ,  
Ne prorsus famulos reijce quæso tuos.  
Est, fateor, certè iusti tibi causa doloris,  
Sed quia tu dulcis plus bonitatis habes,  
Ergo memor patriæ <sup>σοφῆς</sup>, qua diligis istos,  
Pro quibus oblatus uulnera tanta gero,  
Placatus miseris culpam dimitte patratam,  
Ne puni sceleris pro grauitate reos.  
Ut patrem fleat precibus, uestigia monstrat  
Effusis lachrimis sanguinolenta crucis.  
Hæc quoties cernit, grauis obliuiscitur iræ,  
Et pœnas nati motus amore leuat.  
Ipse uelis tantum, præit diuina Tonantis  
Gratia, uult cunctis ferre salutis opem.  
Non spernit quanq; infirmos, constanter adhære  
Huic soli, nescit deseruisse suos.

F I N I S.

153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044




86



*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several large, decorated initials in red ink. Some lines are underlined with red ink.]*







CARMEN DE  
CONTENTIONE VIRTUTIS  
ET IGNAVIAE EX SECVNDO LIBRO  
XENOPHONTIS DE MEMORABILIBUS  
LIBVS SOCRATIS.

A VTORE  
IOHANNE SCHELHAMERO.



VVITTEBERGAE  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO.  
ANNO M. D. LVI.



*Clarissimo viro eruditione et sapientia praestanti D.  
Sebastiano suo pceptoris carissimo dedit Johan. S.*